

Ex quibus firmitas memoriae, audita saepius vocis indolem  
retinentis, in suis satis apparet. *Aristoteles* accuratissi-  
me gradum atque differentias Memoriae in variis Anima-  
libus observavit, quando hanc nobis observationem reli-  
quit: In quibusdam Animalibus est quidem perseveran-  
tia rei sensibilis, sed modica & brevis, eò quod phanta-  
siam parvam habeant in qua imprimantur sensibilia &  
informantur: Sicut picæ & psittaci sentiunt quidem  
voces dicentium, modica verò harum impressio in i-  
psis, & ob hoc imitantur quidem voces hominum aut  
aliorum animalium, verum non pure. In quibusdam  
verò est perseverantia pura rei sensibilis, eò quod habe-  
ant imaginationem puram, ut homines. Sed & quæ-  
dam alia animalia veluti apes & columbæ & asini. Illa  
enim saepenumero peregrinantur à lustris & cubilibus  
spatio trium aut quatuor dierum, & rursus redeunt, unde  
exierunt. Asinus autem ambulans offensâ foveâ, la-  
psusque in eam semel, etiamsi post multum tempus con-  
tingat viam, quæ ad foveam ducat, ingredi, nunquam  
tamen, quamvis illa repleta sit, adduci poterit, ut super  
eam ambulet, etsi fuerit percussus. Confer. de elegan-  
ti hoc testimonio *D. Melchior Zeidlerus in Analyti posteriori*  
*p. m. 398. et seqv.* Nonne hæc singula magnâ hæcenus co-  
piâ à nobis in medium prolata Sensuum in Brutis existen-  
tiam satis superque confirmant? Ac mirandum certè, quod  
contraria opinio mentes Cartesianorum occupaverit, cum  
omnis res ex fine suo sit dijudicanda. Datur verò Finis  
Sensuum in Brutis manifestissimus, qui nullus est alius,  
quam ut Animal se ab externis injuriis tueatur, declinet-  
que quæ nocitura præsentit; persequatur autem quod  
sibi videt esse conveniens. Et quæ alia suppeditari ratio  
posset, cur canes excepti verberibus fugiant, bene autem  
sibi